

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Fluenta roris nectarei

Geisler, Benedict

Augustae Vindelicorum, 1742

Widmung

urn:nbn:de:bsz:31-34166

REVERENDISSIMO

PERILLUSTRI,

AMPLISSIMO

AC

RELIGIOSISSIMO DOMINO,

DOMINO



JACOBO,

IN CELEBERRIMA CANONIA

AD PETRAM STILLANTEM

PRÆPOSITO

DIGNISSIMO,

PRÆLATORUM IN FRANCONIA

SENIORI

Patri ac Domino meo

perquàm Gratiofo.

✕

REVE-

Reverendissime, Perillustris,
Amplissime,
ac perquam Gratiose Domine,
DOMINE.



Consideranti mihi ac perlustranti florecentem hanc nostrâ sæculi felicitate artium liberalium faciem, offert sese inter alias ars illa celeberrima, Musicam puto: cujus suavitas usque adeò universum propè terrarum orbem sibi vendicasse videtur, ut eam non modò in humilibus plebejorum tuguriis, in splendidis Magnatum domiciliis, in illustribus Principum Regumque palatiis summa honorum fastigia conscendisse, verum etiam in Augustissimis supremo rerum arbitro consecratis ædibus maximam gloriæ sedem sibi fixisse cernamus. Nequè id indignum judico; quòd si enim indolis ejus virtutisque excellentiam rimari nonnihil contendamus, nullus dubito, quin eam quivis, si labris vel primoribus hanc delibârit, non tantum excellens quid, sed Divinum propè existimet. Nolo hic fabulas adducere, ac hujus rei in testem vocare Vatem illum Bistonium Orpheum, qui musices suæ suavitate feras immanissimas ad mansuetudinem traxisse, ipasque sylvas ac saxa movisse dicitur: Nolo antiqua Vaticini Davidis monumenta perolvere, quem dulci citharæ sonitu efferatum Saulis furorem cicurasse ferunt: Nec communem ejus recensere cupio virtutem, vim atque efficaciam, quâ ingenia sexcentis defatigata laboribus recreare, animos mille phantasiarum procellis huc illuc agitados exhilarare, pectora omni solatii succo destituta confortare, pristinam ægrotantibus valetudinem restaurare ac redintegrare consuevit: Id ago potissimum, id specto, ac molior, ut hanc virtutis prærogativam, hosque effectus in publicum proferam, eam non tam mortales ignavo quodam torpore in servitiis Divinis vix non consopitos ac inter mortuos resuscitare, extimulare, quàm corda piorum in devotos liquefacere affectus, quod testatur præclarissimum illud de S. P. N. Augustino literis consignatum: *stebat autem uberrimè in hymnis & canticis suavè sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus; eam tristitiam malam depellere, juxta illud Jacob. 5. Tristatur aliquis vestrum, crebra Psalmodiæ dulcedine nocivam tristitiæ pestem depellat; eam summopere Deum delectare Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis; eam denique cultum honorumque Divini Numinis mirum quantum promovere, augere atque amplificare.*

Quam

Quam ob rem in lucem progredi ausus exiguum hoc meum Opus in quatuor Vesperas musicales excurrens debito jure Tibi REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS, AMPLISSIME, ac perquam Gratiose Domine humillimè deferendum existimavi. spe fretus, id, quanquam meritis Tuis amplissimis impar, in corde Tuo sedem reperturum eò acceptiorem, quò ferventior in Te existit gloriæ Divinæ propagandæ zelus, quo ardentior Tua in obeundo pietatis officia alacritas, cujus præstantiam in Te vivo virtutum omnium exemplo pronus suspicio ac veneror. Nec solùm laudatissimus hic virtutum sacrarum concentus in Te gloriatur, sed omnes quoquè scientiæ, Tuo se conquirere sinu, in eâdem Tecum Præposituræ dignitate eminare, regnare, florere, suum decus splendorémque à Te auctum esse, summo opere sibi gratulantur. Adde innumeras, quas naturæ bonitas Tibi REVERENDISSIME, AMPLISSIME ac perquam Gratiose Domine, largita est, excellentias, quarum multitudo tanta est, ut nullius tantum ingenii flumen, nullius tanta dicendi scribendique vis ac copia eas, non dicam exornare, sed enarrare possit, quin semper ei timendum sit, ne, cùm semper quid plus de Tuis laudibus effari contendat, semper quid minùs sit prolatura: Ecquid enim in festivas acclamationes filiorum Tuorum congratulantium resolutæ voces? quid administratorum jubilationes? quid inusitati subditorum applausus? omnium deniquè exterorum exultationes quid quæso! aliud sibi volunt, nisi ut suavem Tuam regendi methodum paterno amore conjunctam deprædicent, inauditam clementiam, bonitatem, mirámque in omnes mansuetudinem laudibus extollant; liberalitatem, justitiam affabilitatémque præconiis exornent; & has quidem laudum prærogativas ad immortalem Tuæ gloriæ celebritatem ità seræ posterorum memoriæ commendabunt, ut de iis, si Tuba aliquando defecerit, & ut solet, ex vertigine temporum, sæculorúmque senescente memoriâ, fortè lingua intercidat, mortuorum ora, literarum, inquam, voces etiam posthumæ loquantur. Hæ profectò sunt alæ illæ, virtutes inquam REVERENDISSIMÆ, ac PERQUAM GRATIOSÆ AMPLITUDINIS TUÆ, quibus non ità pridem inter lætos præsentium clamores, inter tubarum tympanorúmque clangores, inter tormentorum fragores ad Amplissimam Præposituræ dignitatem gloriosus evolâsti: hæ sunt manus illæ artificiosæ, quæ Tibi dignissimo mitram, pedum abbatiale, cæteraque sacra cimelia affabrè scitéque elaborârunt, quæ non tam Nominis Tui felicitati quàm clarissimæ Domui Tuæ Rõthleinianæ, quæ à sæculis jam antiquissimis cùm in Franconiâ nostratùm in remotissimis regionibus maximè effloruit, novus cumulus gloriæ, gloriæque cumulatissimæ quidam inæstimabilis meritarum laudum thesaurus accrescit. Quare gaude Tuo isto tam excellenti bono REVERENDISSIME, AMPLISSIME, ac perquam gratiose Domine! quod Tuæ Tibi peperere virtutes: fruire cùm fortuna, & gloria, tùm etiam natura & moribus tuis; quanquam maximus in me Tuósque, quos paternæ Tuæ curæ subiectos conspicias, filios fructus, jucunditas, lætandique materies retundet, quòd Te sapientissimum regentem ac fidelissimum pastorem nacti simus: quanti enim regni cujusdam, provinciæ, aut Congregationis interfit, de-

votum superis, inferis tremendum, justum, clementem ac prudentem antistitem tam amare quam timere, satis declaratur lib. Sap. 6. Rex sapiens stabilimentum populi, & lib. Eccles. cap. 10. Illa terra beata dicitur, cujus rex nobilis: in cujus potestate velut in librâ tum tota reipublicæ salus tum tota illius pernicies ponderanda dependet. Beati igitur nos felicésque facti, triumphemus, mentes nostras extollentes in sancta ac benedicentes Dominum, quod preces nostras exaudierit, nobisque regnantem concesserit, cujus sapientiæ auspiciis hostium tum internorum, tum externorum insultus dissipatos iri, tutissimè licet confidere; jubilemus, quod pastorem nobis præstiterit, cujus ductu pingua certè pascua simus aggressuri: exultemus denique, quod Patrem nobis largitus sit, cujus virtutum splendore illustrati secundam in terris felicitatem, optatam in cœlis patriam simus consecuturi. Atque ut tandem propositi mei scopum iterum attingam: Opus hoc meum vilissimum iteratò Tibi REVERENDISSIME, AMPLISSIME ac perquam gratiosè Domine! oblatum volui, tanquam teneri ac filialis amoris primitias: suscipe illud, Tuisque id radiis aspectûque dignare, ut inclarescat; eam, quâ omnes nutris, benevolentiam huic demonstra: & quodsi id vel minimum gratiæ obtutum à Te consecutum videro, me operis hujus tenuissimi fructum percepisse uberrimum, gratissimum semper, dum vixero, deprædicabo: Interea Deum ac Superos socialibus votis cum omnibus Tibi subditis precari non destiturus, ut, quæ sacra dignitatum insignia, mitram pedumque, ac merita amplissima cœlum liberaliter in Te contulit, ea gratis suis augere, ornare, & illustrare deinceps pergant constanter, Téque in longissimos adhuc annos superstitem fervent, viribus integrum, animo vegetum, pacis otio divitem, & in meridie ista lucis & gloriæ Tuæ magis semper magisque reddant illustrem; donec luce supremâ & meritis summis auctum, saturumque vitæ, fluxæ hujus mortalis tandem in beatissimum illud littus felicitatis vitæ, & gloriæ duraturæ æternum applaudente omni cœlitum choro transmittant. Ita vovet, & devotissimo ac verè filiali affectu precatur

Reverendissimæ, Perillustri, Amplissimæ
ac perquam gratiosæ Dominationis Tuæ

Filiorum & Clientum infimus

P. BENEDICTUS GEISLER,
in Petra Stillante Professor.

MILLE REPERCVSSIS CANAT ECHO VOCIBVS ÆVIS
PACIS OLIVA REGAT SALIENTES ÆQVORE RVES.